



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Zeghervs Insvlensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## WINWALOCVS ABBAS.

*Gandavi in monte Blandinio.*

**F**Loruit temporibus S. Patricij Hiberniæ Apostoli. 3. *Mars.*  
Eius ipsa sævientibus per Britanniam Norman-  
nis, primùm in Galliam & inde Gandauum ad Blandi-  
niense S. Petri Cœnobium sunt auecta, cuius translatio-  
nis ibidem annua fit commemoratio Kal. Augusti. Disci-  
pulum habuit S. Etbinum Diaconum, cuius festum inci-  
dit in diem 19. Octobris. Claruit autem inter Britannos,  
ait Molanus ex monumentis Blandiniensibus & historia  
Londini excusa, sanctitate multâ & in digito Dei non  
pauca patrauit miracula; vnde nomen eius adhuc viuen-  
tis in tota Britannia celebrè erat, & velut Angelus Dei ab  
hominibus honorabatur. Plura vide apud eundem & Su-  
rium.

## ZEGHERVS INSVLENSIS.

**F**Vit Zegherus Ordinis Prædicatorum, & quanquam 1. *Aug.*  
infulis Fladrorum natum esse non constet, ea tamen  
in vrbe commoratum legimus in qua vicinisque Flandriæ  
opidis concionibus habendis & hominibus ad meliorem  
vitam reuocandis insignem nauauit operam, eoque in  
numero vere Apostolico cum alios plures cælestibus mo-  
nitis vitæ huius oblectamenta contemnere vniue Deo  
adhærere velut B. Matthæus Iphigeniam ita vt Margare-  
tam Iprensam Deo consecrauit, cum eum Ipris aliquando  
peractâ concione in templo pro illius populi salute Deum  
precaretur in promiscua virorum mulierumque turba  
Margaretam vidit puellam hætenus ei incognitam ad  
mundi



mundi vanitates compositam varioque vestium luxu ornatam, Deoque reuelante cognouit futuram deinceps vitæ sanctimonia celebrem. Quare eam è multitudine vitro ad se vocat, ad cor loquitur, ad mundi despectum hortatur, meliores nuptias coelestesq; delicias proponit, Christum ei sponsum vouet, & tandem illo propitio, atque è cœlis cooperante, omnem vanitatis flammam in Margareta extinxit, & meretricem mundi amorem in castum virginum sponsi ignem cōmutauit, totaq; eam deinceps vita magnis sanctimonie exemplis tanquã lucerna ardens & lucens anteiit: fuit siquidem vitæ regularis accuratus obseruator, diligenter satagens eas primò in se virtutes habere ad quarum amorem alios hortabatur, assiduo pietatis studio didicit mundum odisse, & præ opibus vanisque voluptatum illecebris crucem complecti, deinde profui ordinis instituto omni quã potuit sedulitate importunis acribusque correptionibus vitia publicè est insectatus, oportunisque monitionibus torpescentes animos ad meliorem vitam excitauit. Præclara verò B. Zegheri sanctitas, pluribus eius videndi desiderium peperit; quo factum vt Flandriæ Princeps Ioanna, Cameracensis Episcopus, aliique Primates sapius eum ad se euocarint, tum vt virtutis imagine recrearentur tum vt salutaria vitæ melioris documenta à viro verè Apostolico auidè exciperent. Plura apud Choquetium vide. Eius memoriam Kal. Augusti Miræus in Fasti recolit, & floruisse scribit 1236, post natalem Christi.

INDEX